

alia correctiora Biblia legunt assertive sine interrogazione. Denique hos thesauros et mensuras iniquitatis opponit iudicio, id est iustitiae et misericordiae, quae duo ab eis requisivit Deus vers. 8. Unde Syrus vertit: Adhuc ignis in domo impii, et (id est scilicet) repositoria iniquitatis, et mensura parva fraudis; et Arabicus: Numquid non species (pulchritudo) huius civitatis in ignem? quia congregavit sibi repositoria de iniquitate et oppressione in agris.

Vers. 11. 41. NUMQUID JUSTIFICABO STATERAM IMPIAM, ET SACCELLI (sacculi, in quo continentur et circumferuntur) PONDERA DOLOSA? — q. d. Egone Deus, qui sum iustissimus, « justificabo, » id est iustam habeo et declarabo, aut certe dissimulabo et impunitam relinquam stateram injustam? q. d. Minime: est melonymia; persteteram enim intelligit ipsos mercatores, qui injusta statera appendunt suas merces. Unde Septuagintaclare vertunt: Si justificabitur in statera iniquus? et Chaldaeus: Numquid iusti habebuntur in stateris iniquitatis, et in saeculo in quo sunt pondera majora et minima? Et Tigurina pro Hebraeo זַכָּה אֲזִיכֶּה, id est justificabo, legens alii punctis זַכָּה אֲזִיכֶּה azicce, vertit: Numquid (ego mercator) mundus ero, et innocens coram Deo cum bilance iniqua, et cum saeculo in quo sunt lapides fraudulentis? q. d. Non. Nam id severe venit Deus Deuter. xxv, 13, dicens: « Non habebis in saeculo diversa pondera, majus et minus. »

Vers. 12. 42. LOQUEBANTUR MENDACIUM, — asserentes bilantes et mensuras suas esse aequas et iustas, cum essent inique et injustae: item merces esse incorruptas, recentes et sine vitio, cum essent corruptae, antiquae et vitiosae: « Veritas enim paupertatem, mendacium divitias parit, » ait S. Hieronymus. Quocirca:

Vers. 13 et 14. 43 et 44. EGO COEPI PERCUTERE TE (et pergam, acri) PERDITIONE (et plaga; Hebraeus: Ego infirmavi et aegrotare te feci; Tigurina: Ego te infirmabo, vel aegrotum te reddam, cavendo et devastando propter peccata tua, q. d. Puniam te penuria et fame, ex qua morbum contrahas et aegrotas. Nam) TU COMEDIS, ET NON SATURABERIS, — q. d. In obsidione et captivitate ita parce comedes, ut non satureris. Est haec congrua poena, ut qui malis artibus locupletati sunt, depauperentur, fameant, mendicent, aegrotent.

ET HUMILIATIO TUA IN MEDIO TUI. — Primo, q. d. Afflictio tua, o Jerusalem, erit intra te, cum obsideris ab hoste Chaldaeo. Ita Lyranus. Rursum in medio opum et deliciarum tuarum, cum tibi videberis esse felix, fies repente miserima; nam capieris et spoliaberis ab hoste. Ita Arias. Secundo, q. d. « Humiliatio, » id est causa et culpa humilitationis et afflictionis tuae, est intra te, nimirum peccata et scelera tua, q. d. Tuas rerumnas tibi tuisque sceleribus imputa, non hostibus. Hoc est quod ait Osee cap. xii, 9: « Perditio tua, Israel, tantummodo in me auxilium tuum. »

Tertio, valde congrue et connexe Chaldaeus,

Hebraeus, Pagninus et Vatablus haec referunt ad praecedentia, ut his omnibus significetur fames, macies, squalor, indeque sterilitas et orbitas filiorum. Unde vertunt: Comedes, et non saturaberis; depressio erit in medio tui, id est venter tuus olim cibo humidus et turgidus, praefame et inanitate deprimitur, seque contrahet et coarctabit: inde fiet quod apprehendet, supple semen tuum, uxor tua, id est suscepto semine concipiet, nec enititur vivum, sed abortiet: quod si evicula fuerit, tradam gladio hostium, q. d. Ex fame sequetur debilitas virtutis generativae, ex ea abortus: quod si qui tibi filii nati fuerint, illos tradam necandos Chaldaeis.

Tropologicae S. Bernardus, epist. 87: « Humilitas, ait, ad quam utique ducit humiliatio, totius est spiritualis fabricae fundamentum. Siquidem humiliatio via est ad humilitatem, sicut patientia ad pacem, sicut lectio ad scientiam. Si virtutem appetis humilitatis, viam non refugas humiliatōnis. »

Tropologicae humiliatio est, ut ad humilitatem.

45. TU SEMINABIS, ET NON METES; — sed Chaldaei hostes tui demetent tuam messem, tuasque vineas vindemiabunt, et oliveta excutient; atque oleum et mustum quod expressisti, vel in vineis, vel in urbe diripient, q. d. Sicut proximos tuos fraudasti labore proprio, ita et tuo fraudaberis. Ita Vatablus. Hic verum est illud Chilonis: « Lucrum scelere partum damnatum est, non lucrum. » Ita Laertius lib. I, cap. iv. Et illud Diogenis: « Quid sunt divitiae? fortunae vomitus. » Testis est Stobaeus, serm. 91. Impius enim vomet opes injuste paratas: haec enim stomachum, id est conscientiam ejus, ita onerant, ut eas evomere cogatur, juxta illud Job xx, 15: « Divitias quas devoravit vomet, et de ventre illius extrahet eas Deus. » Nota: Solent Prophetae per arationem sementem, messem, significare rerum omnium affluentiam. Nam, ut sapienter ait Xenophon in Oeconom., « artium caeterarum parens est nutritrix est agricultura; quando bene agitur cum ea, omnes aliae artes vigent, » multaque sunt qui eas excitant et urgent.

Vers. 15.

46. ET CUSTODISTI PRECEPTA AMRI. — Amri fuit rex impius Israel, pater Achab, qui cum filio idololatriam anlea saepe in regibus impiis a Deo suocisam renovavit et amplificavit in Samaria, II Reg. xvi. Unde S. Hieronymus ejusque asseclae opinantur hic Prophetam loqui decem tribubus: harum enim rex erat Amri. Verum dico eum loqui duabus tantum, puta Judaeis. Sensus enim est, q. d. Tu, o Jerusalem, quae per templum Deo vero eras consecrata, non Dei tui, sed impii Amri impiis de idololatria praecipis sponte te subdidisti, adeoque impie et scelerate vixisti, ac si fuisses non in Sion sub Davide ejusque posteris, sed in Samaria sub Amri, Achab et Jezabele impiissimis regibus. « Opus enim domus » id est familiae, « Achab, » erat idololatria, impietas, codes Prophetarum, expulatio fidelium, aliaque sce-

Vers. 16.

lera. Ita Theodoretus. Nota: Pro Amri Septuaginta legerunt rex amri, id est populi mei. Unde vertunt: Et dissipabuntur legitima populi mei. Legitima vocant leges et precepta, ut habent Hebraeus, Noster, Chaldaeus et alii. Romani tamen codices Septuaginta legunt: Et custodisti justificationes Zambri; sed vera lectio est Amri, ut patet ex Hebraeo et Latino.

ANECLASTI IN VOLUNTATIBUS EORUM. — Ita Hebraeus, Chaldaeus, Septuaginta, Romana, Plantiniana et alia passim. Male ergo quidam legunt, in voluntatibus. Sensus est, q. d. Peccisti quae voluit et placita erant Amri, Achab, aliisque impiis et idololatriis regibus Israel. Opponit hoc sollicitudini ambulandi cum Deo, quam ab eo requisivit vers. 8, q. d. Ego postulavi a te ut solliciti ambulares cum Deo tuo; ac tu solliciti ambulas cum Amri, ejusque Baalim et idolis.

UT DAREM TE IN PERDITIONEM (ut consequentiam significat, non finem intentum, q. d. Inde consequetur, o Jerusalem, et disperdam te) ET HABITANTES IN EA (in te, o Jerusalem) IN SIBILUM (est enallage personae; transit enim a secunda ad ter-

tiam, quasi indignans et avertens ab ea faciem et sermonem, q. d. Clives divites et potentes Hierosolymae, ob idololatriam et scelera dabo in sibilum. Unde nova enallage ad primam personam redit, dicens): ET OPPROBRIUM POPULI MEI PORTABITIS, — q. d. Vos, o divites, vos, o principes, hic alloquor, qui populo fuistis ductores et inceptores idololatriae et scelerum; vobis excidii et captivitatis populi mei probrum et ignominia imputabitur; vosque idcirco omnes et indigene et exteri execrabantur, ac subsannabant dicentes: Juste et meritissimo principes Iudeorum a Chaldaeis spoliantur, necantur, probris afficiuntur; quia ipsi spoliarunt, necarunt, probris affecerunt pauperes; et quia suis impiis consiliis et criminibus populum, urbem et regnum perdidit. Ita S. Hieronymus, Lyranus, Clarus et alii. Nota: « Opprobrium populi » vocatur probrum excidii, captivitatis et subsannationis, quod Iudaei patiebantur a Chaldaeis aliisque gentibus, praesertim vicinis et hostilibus, quodque Moses eis comminatus erat Deuter. cap. xxviii, 36, et Levitici xxvi, vers. 32.

## CAPUT SEPTIMUM.

### SYNOPSIS CAPITIS.

Queritur Michaeas se frustra concionando laborasse, eo quod via ultimum reperiat, qui mores gravos in melius commutavit; quocirca, vers. 4, comminatur excidium, et captivitatem Babylonicam: deinde, vers. 11, ex ea liberationem, pacem et felicitatem, tum per Cyrum, tum magis per Christum promittit, adeoque, vers. 18, in divinae clementiae et beneficentiae laudem et doxologiam erumpit (1).

1. Vae mihi, quia factus sum sicut qui colligit in autumno racenos vindemiae! non est botrus ad comedendum, praecoquas ficus desideravit anima mea. 2. Perit sanctus de terra, et rectus in hominibus non est: omnes in sanguine insidiatur, vir fratrem suum ad mortem venatur. 3. Malum manuum suarum dicunt bonum: princeps postulat, et iudex in reddendo est: et magnus locutus est desiderium animae suae, et conturbaverunt eam. 4. Qui

(1) Continuat contentio legalis cap. praeced. incepta, per querelas mali pressas; et primo, queritur Propheta, primo, de paucitate bonorum, 1; secundo, de multitudine improborum, 2; tertio, de perversitate principum, iudicum et doctorum, in omnes noxia, 3, 4.

Secundo, declarat Propheta adesse jam tempus dudum praedictum quo populi scelera Deus ulciscetur, 4; tanta est enim eorum perversitas et perfidia, ut eat usque ad positionem amissionum, 5; usque ad dissidium conjugatissimorum et domesticorum, 6.

Secunda divisio ultima partis seu Consolatio Evangelicae. In hoc deplorato reipublice statu rerumque omnium perturbatione, primo, Propheta personam populi assumens, primo, ad Deum confugit, et salvatorem expectat, 7; secundo, misericordiam Dei et sortis reparandae sperat, 8; tertio, castigationi divinae se submittit, 9; quarto, hostium, sibi ac Deo insultantium, vindictam praenuntiat, 10.

Secundo, sequitur responsum Dei, primo, reipublicae

Judicae, sublimiorique sensu Ecclesiae Christianae restorationem et liberatam promittentis, 11; secundo, gentium undique ad illam concurrentium copiam describens, 12; tertio, popularium exterorum terram propter injurias quas populo Dei intulerant, vastatam ac desolatam futuram esse minantis, 13.

Tertio, convertit se Propheta ad preces, ut Deus populum suum captivitate liberatum providentia sua paterna clementer moderetur, 14.

Quarto, sequitur responsum Dei, primo, postulatam liberaliter addicentis, et pristinae tutelae miracula offerentis, 15; secundo, confusionem hostium, ex miraculorum promissionum conspectu futuram praedicens, 16, 17.

Quinto, concepto ex hac rerum tam inopinata mutatione stupore, plactionem Dei et misericordiam futuram extollit, 18; secundo, redemptionem peccatis concedendam exaggerat, 19; tertio, fidelitatem Dei in promissis implendis commendat, 20.

optimus in eis est, quasi palurus : et qui rectus, quasi spina de sepe. Dies speculationis tuae, visitatio tua venit : nunc erit vastitas eorum. 5. Nolite credere amico, et nolite confidere in duce : ab ea, qua dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui. 6. Quia filius contumeliam facit patri, et filia consurgit adversus matrem suam, nurus adversus socrum suam : et inimici hominis domestici ejus. 7. Ego autem ad Dominum aspiciam, expectabo Deum salvatorem meum : audiet me Deus meus. 8. Ne leteris, inimica mea, super me, quia cecidi : consurgam, cum sedero in tenebris, Dominus lux mea est. 9. Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei, donec causam meam judicet, et faciat judicium meum : educet me in lucem, videbo justitiam ejus. 10. Et aspiciet inimica mea, et operietur confusione, quae dicit ad me : Ubi est Dominus Deus tuus? Oculi mei videbunt in eam : nunc erit in conculcationem ut lutum platearum. 11. Dies, ut aedificentur maceriae tuae : in die illa longe fiet lex. 12. In die illa et usque ad te veniet de Assur, et usque ad civitates munitas, et a civitatibus munitis usque ad flumen, et ad mare de mari, et ad montem de monte. 13. Et terra erit in desolationem propter habitatores suos, et propter fructum cogitationum eorum. 14. Pasce populum tuum in virga tua, gregem hereditatis tuae, habitantes solos in saltu, in medio Carmeli : pascentur Basan et Galaad juxta dies antiquos. 15. Secundum dies egressionis tuae de terra Egypti ostendam ei mirabilia. 16. Videbunt gentes, et confandentur super omni fortitudine tua : ponent manum super os, aures eorum surdæ erunt. 17. Lingent pulverem sicut serpentes, velut reptilia terrae perturbabuntur in aedibus suis : Dominum Deum nostrum formidabunt, et timebunt te. 18. Quis Deus similis tui, qui auferis iniquitatem, et transis peccatum reliquiarum hereditatis tuae? non immittet ultra furorem suum, quoniam volens misericordiam est. 19. Revertetur, et miserebitur nostri : deponet iniquitates nostras, et projiciet in profundum maris omnia peccata nostra. 20. Dabis veritatem Jacob, misericordiam Abraham : quæ jurasti patribus nostris a diebus antiquis.

Vers. 1. 1. VAE MIHI! — Hebraice est וָאֵי מִיחֵי *allai mi*, id est heu mihi! est enim vox gementis, non minantis, q. d. O me miserum! Deplorat enim Propheta, aut potius Spiritus Sanctus per Prophetam, raritatem virorum proborum, eamque suam aestimat miseriam. Porro hanc raritatem comparat paucis racemis, qui a vindemiantibus in vinea relinqui solent.

QUA FACTUS SUM SICUT QUI COLLIGIT IN AUTUMNO RACEMOS VINDEME, — id est post vindemiam. Hebraea jam ad verbum habent : Quia fui sicut collectiones (fructuum) aestatis, sicut racemationes vindemae. Quod Syrus, Arabicus, Septuaginta, Chaldaeus et alii sic exponunt : Quia factus sum sicut qui congregat stipulam in messe, et sicut (qui colligit) racemos in vindemia, ut sit duplex similitudo, nimirum ut Deus comparet se primo, spicilego, qui post messem spicilegium facit, paucasque spicas a messore relictas colligit; secundo, racematori, qui paucas uvas post vindemiam reliquias decerpit. Verum hi nulla supplent, quae non habentur in Hebraeo. Adde in Hebraeo, uti jam legunt, Deum comparari non collectori, sed ipsi collectioni fructuum, quod sane minus congrue dici videtur. Quocirca melius Noster pro וָאֵי מִיחֵי *osephi*, id est collectiones, legens aliis punctis וָאֵי מִיחֵי *osephi*, vertit, colligens, vel qui colligit. *Osephi* enim est *benoni*, sive participium *cal*, habens annexum *iod*

paragogicum. Rursum pro וָאֵי מִיחֵי *kais*, id est aestas, vertit, *autumnus*, quia tempus fructuum est in autumno, et sic fructus autumnales vocantur *fructus aestatis*; tunc enim annum distinguimus in duas partes, scilicet aestatem, et hiemem, ac sub aestate partem autumnii priorem, et veris posteriorem, cum aura est calidior, comprehendimus; sub hieme vero partem autumnii posteriorem, et veris priorem, utpote frigidiorum, complectimur. Docte ergo pro *kais* vertit, in autumno, intelligendo praepositionem כִּי, id est in, quam Hebraei subintelligere solent, ut וָאֵי מִיחֵי *kais* ponatur pro וָאֵי מִיחֵי *beatis*. Vertit ergo unico tenore univacue similitudine : « Quia factus sum sicut qui colligit in autumno racemos vindemae, » Unde apposite non de spicis, sed de uvis solis sequitur : « Non est botrus ad comedendum, » q. d. Racemando vineam, quæsi uvas, et ne quidem unum botrum inveni quem comederem. Jam symbolice per uvas et botros intelligit viros fideles, justos et sanctos, eorumque pia et sancta opera; hi enim ex vinea, id est ex Ecclesia; et ex vite, id est Christo, quasi uvæ Deo sapidissime procreantur. Sic sponsa, Cant. 1, 13, ait : « Botrus cyprii dilectus meus mihi, in vineis Engaddi. » Et cap. vii, 7, vicissim sponsus ait sponsæ : « Statura tua assimilata est palmae, et ubera tua botris. » Causas et analogias hujus vitis et uvæ recensit *Ezech. xv*,

in fine. Quocirca Chaldaeus vertit : Vae mihi! quia fui quando deficiebant boni, tempore quo perierunt misericordes de terra; ecce sicut fructus aestivales, sicut racemi post vindemiam. Non est vir qui habeat opera bona; bonos tamen appetit anima mea, q. d. Ego Micheas fui quasi pauper racemator; hic enim post vindemiam sperat se saltem aliquos racemos, qui vindemiantes fugerunt, in vinea inventurum, eosque querit et invenit; ita et ego speravi paucos saltem Judaeos meis concionibus, monitis et minis convertendos; sed « non est botrus, » id est non unum, vel vix unum, qui se converterit, vitamque mutarit, invenio; quocirca gemo, et ploro : « Vae mihi! » heu mihi, oleum et operam perdidit. Allegorice, idem accidit Christo predicanti : paucos enim ex Judæis tota vita sua convertit. Unde ipse ad sua tempora allegorice refert vers. 6 Micheae, citans eum, *Matth. x, 35*, de quo mox.

Ubi nota grave pathos Dei et Christi, cum diabolo tribunt vineæ, id est Ecclesiae, vindemiam, utpote qui uvas omnes colligat, ideoque plena habeat forcularia uvis et vino; sibi vero adscribunt racemationem, utpote qui paucos a diabolo relictos, quia ejus oculos manusque fugerunt, colligat : maxima enim pars hominum diabolo servit, ejusque fit esca et præda; unde ab eo premetur, et calcabitur in torculari inferni, exigua vero cedit Christo; multi enim sunt vocati, pauci vero electi. Diabolo ergo cedunt illi magni botri et plurimi, ut vindemiatori; Christo non nisi reliquiae, pauci et pauperulli, sicut racematori, quasi dicit : Christo non superest botrus, et vix pauculi acini; nam acini et granula pauca botri non merentur : botri enim illi magni et pingues vulpium partes facti sunt. Unde Arabicus vertit : *Extremam* (extremam partem) desideravit anima mea. Hoc est quod dolet *Isaia cap. xxiv, 13* : « Quomodo si paucae olivæ quæ remanserunt, et racemi cum fuerit finita vindemia. » Quocirca tropologice doctor et concionator si post multos decendi et concionandi labores et annos, paucos convertat, non miretur, non est melior Michea, non Christo. Sorte ergo illorum contentus sit, et a Deo plenam, imo pleniorum expectet mercedem; Deus enim non fructum, sed laborem remunerat; qui sine fructu major est molestus est, eaque ratione majus premium meretur.

NON EST BOTRUS AD COMEDENDUM, — id est aptus ut comedatur; quia si qui sunt, vel immaturi sunt, vel acerbi, vel ex imbre corrupti et putridi. Ita Micheas aliquos invenit Judæos in speciem bonos, et suis concionibus auscultantes; sed in eterna malitia et superstitione acerbos, vel gula et libidine putidos, uti Lyranus et Rupertus explicant.

PRÆCOQUAS FICUS (hebraice כְּדֹרֵי *bicura*, id est primitiva, vel primos fructus) DESIDERAVIT ANIMA MEA, — Sed per primitiva Hebraei intelligunt ficus,

ut recte notavit Vatablus; non quod in Palestina ficus sint omnium fructuum primi, uti aliqui putarunt; priores enim sunt pruna, etc. aequae ac in Italia, uti mihi Romæasserunt Palastini et Hierosolymitæ. R. P. Melchior ab Helmont Belga, Franciscanus, qui diu Hierosolymis in suo conventu habitavit, Romæ mihi affirmavit primos illius terræ fructus illi esse proprios, et vocari *maze*, eosque gustu similes esse ficibus, sed ficibus esse longiores; qui si scindantur, cruceum ostentare; atque indigenas tradere illum fuisse fructum velutum, quem comedit Eva. Dicuntur ergo præcoquæ, quod solæ ficus sint biferae; priores enim fructus dant in aestate, puta in julio, et hi vocantur *bicura*, id est primitivi, sive præcoqui; posteriores in septembri. Porro ficus præcoquæ sapidiores sunt; sunt enim ficum et ficulnae quasi flos, atque avidius expetuntur ob novitatem, uti dixi *Jerem. xxiv, 2*. Quare mirum est S. Hieronymum in *Comment. bicura* vertere, grossos, sive ficus immaturas, q. d. Deus : « Ego non inveniens panem præ fanis magnitudine, quisquilias et furtives requisivi. » Hic enim ipse in textu *bicura* vertit : « Ficus præcoquas, » quæ sane mature et gustui suaves sunt. Et ita *bicura* vertunt alii passim. Sensus ergo est, q. d. Ego Micheas quasi famelicus, post tot conciones et labores, desideravi vel in autumno ficus præcoquas : licet enim aliis sint præcoces in aestate; ego tamen, vel in autumno (mihi enim nulle in aestate maturauerunt) pauculis maturis contentus ero, id est paucorum saltem desiderio conversionem et salutem, quantumvis seram et tardam, ut hæc sallem labori meo reddatur merces et consolatio; at ne hoc quidem consequi potui.

Moraliter, quam avide præ omnibus fructibus expetimus ficus præcoquas, tam avide Deus expetit peccatorum conversionem, et tam avide eandem expetat concionator, quasi alter Micheas.

Porro symbolice, ficus præcoquæ, inquit Arias, Symbolice fuerunt primi patres et Patriarchæ, puta Abraham, Isaac, Jacob, Moses, etc., qui uti primi fideles, ita Deo suavissimi, et sua pietate ad sanctitatem gratissimi exstiterunt. Optat ergo Micheas ut redeat aureum Patriarcharum seculum, ut redeat prima et prisca avorum fides, pietas, integritas. Simili modo optat poeta Juvenalis, sat. xiii :

Hos utinam inter  
Herodes notum tellus me prima tulisset.

Nam, ut canit Horatius lib. III, ode vi :

Damnosa quid non imminuit dies?  
Ætas parentum pejor avis, tulit  
Nos nequiores, mox daturos  
Progeniem vitiosorem.

2. PERIIT SANCTUS. — Hebraice חַסִּיד *chasid*, id est pius; Chaldaeus, *miseriors*; Septuaginta, *reverens*; Tigurina, *benignus*; Vatablus, *sanctus*.

ET RECTUS. — Septuaginta pro *schin* legentes *sin*, puta פו יאר *iasur*, legentes יאר *iasar* (*sin* enim aequipollet litterae *samech*) vertunt: Et corrigens in hominibus non est, q. d. Non est censor, qui hominum vita castiget et corrigat. Sic Ovidius, lib. I *Metamorph.*, queritur cum aureo seculo perisse fidem, pietatem, virtutem, ac successisse ferreum et æneum seculum, quo in virtutum

subire locum fraudesque dolique  
Insidiaeque, et vis, et amor sceleratus habendi.

OMNES IN SANGUINE (hebraice *sanguini*, id est vite proximi) INSIDIANTUR (unde Chaldaeus: *Omnes parant insidias sanguinis justis effundendi causa*. Quoecira explicans subdit): VIR (id est unusquisque) FRATREM SUUM AD MORTEM VENATUR, — sicut auceps venatur avem ut eam occidat. Hebraeus et Chaldaeus: *Vir venatur fratrem suum ad cherem*, id est ad exterminium, ut eum quasi anathema disperdat et exterminet; Pagninus et Vatablus vertunt: *Venatur reti*, ut eum illaqueet; sicut auceps illaqueat volucrem. Verum hebraeum *cherem* proprie et communiter significat exterminium, non rete, nisi abusive, ut patet *Habacuc* 1, 47.

Vers. 3. 3. MALUM MANUM SUARUM DICUNT BONUM hic opera mala quae manibus operantur, dicunt esse bona, q. d. Non solum faciunt mala, sed et defendunt, dicuntque esse bona. Ita S. Hieronymus. *Secundo*, Septuaginta vertunt: *In malum manus suas preparant*, q. d. « Cuncti manus levant ad malum, ut etiam qui malum facere non poterit, tamen dum malum preparat, voluntate delinquit (1), » ait S. Hieronymus. *Tertio*, R. David apposite et connexe ad sequentia vertit: *Manus suas coniungunt ad malum, ut illud bene faciant*, id est ut illud perficiant et ad effectum perducant. Unde Tigurina vertit: *Ad malum manuum suarum diligenter sunt intenti, et strenui*; quia nimirum ad illud idoneos sibi socios, et potentes administratos asciscunt, cum eisque simul in malum, quod mente destinarunt, conspirant. Nam PRINCEPS POSTULAT (a iudice sibi adjudicari iniqua tributa, bona, vel vitam innocentium, similive rem inpiam vel iniustam); ET IUDEX IN REDDENDO EST (q. d. Iudex reddit quod princeps iniuste petit; reddi, inquam, spe mercedis, vel parisi iudici, aut gratie, quam a principe expectat); ET UL praesent sceleribus suis mutuum favorem, et in alterius crimine se defendunt, » ait S. Hieronymus. Unde

(1) Sic iuxta hebraeum satis verisimiliter vertit Maurer, et cum sequentibus connectit: *Ad malum manus sunt, ut bene faciant*, id est, ad malum bene faciendum, ad scelerata facinora probe facienda intenti sunt; *magistratus possit*, munus puta, quo corrumpitur, et iudex est pro retributione, paratus est pro munere, magistratus, iudices corrupti se patiuntur; et *magis loquitur libidinem animi sui is*, et qui potes, dives est, is quid fieri velit dicit, animi optatum significat illis, et statim illi pervertunt rem, causam, in commodum illius potentis divitis, a quo se corrupti patiuntur.

ex Hebraeo veritas: *Iudex pro retributione*, scilicet iudicat; hoc est, ut Chaldaeus vertit: *Princeps postulat, et iudex dicit: Fac pro me, et retribuum tibi*. Denique MAGNUS (hoc est aliquis ex magnis vel Rabbinis) LOCUTUS EST DESIDERIUM (hebraice וירר *hoffat*, id est expetebat et pravitatem: ita Vatablus) ANIMAE SUAE (puta si rogetur de hac principis postulatione, et iniquo iudicis ei rem iniuste adjudicantis iudicio, non respondet secundum justitiam, legem et voluntatem Dei; sed secundum suam adulationem, ambitionem et avaritiam; nimirum approbat et defendit iniquam, tam postulationem principis, quam iudicis sententiam, ut eorum gratiam ineat, aut rapinae sit particeps. Unde Pagninus vertit: *Et magnus loquitur: Afferte munera*): ET (hac ratione) CONTURBAYERUNT (Chaldaeus, *depravaverunt*) EAM — « vel urbem, vel veritatem, sive terram de qua dixit vers. 2: Perit justus de terra, » inquit S. Hieronymus. Hebraice magis apposite et significanter dicitur ויטריבו *vaietabtu*, id est condensaverunt, implicaverunt, intricarunt, sicut funem reddiderunt eam, scilicet *hoffat*, id est corruptelam; nimirum triplici ore, puta principis, iudicis et magnatis, quasi triplici fine eam tripliciter et corroborantes, ut ostendant bonum esse, quod malum est; æquum esse, quod iniquum est, iuxta illud: « Funiculus triplex difficile rumpitur. » Radix enim עטר *abat* significat impletore funes, vel frondes; inde enim עטר *abat* vocantur funes, quia implexi. Hoc est quod ait Isaias cap. v, 18: « Ve qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, et quasi vinculum planstri peccatum. » Ad Isaiam enim more suo alludit hic Michæas. Ita Lyranus, Vatablus, Marinus in *Lexico*, et alii recentiores. Paulo aliter hunc locum explicat Pineda in *Job* cap. xxi, 8, num. 6, quasi Michæas hic taxet principes, qui aule harpyias, id est suis familiaribus et adulatoribus omnia indulgent et concedunt cum noxa republicæ et pauperum. Sic ergo exponit: Princeps (vir princeps et magnus coram suo rege et iudice supremo) postulat (a rege), et iudex (supremus) in reddendo (facile annuendo, et concedendo nulla sufficiente cause et rei postulata cognitione) est; et magnus (primates et regi familiares) locutus est desiderium animæ suæ (quod appetit, hoc petit; quod vero petunt, dicto citius obtinent) et conturbaverunt eam, » rempublicam videlicet puniendo et lacerando pauperes, eorumque sanguinem exsurgendo. Unde sequitur: « Qui optimus in eis est, quasi palurus; et qui rectus, quasi spina de sepe. » Verum, quia communiter princeps est major iudice, hinc prior expositio planior videtur. Apposite Belgæ, hosce socios in facinore conlertantes, vocant *Vandregisites*. Nomen enim *Vandregisites* conflatum est ex hisce tribus Flandricis vocibus, van de by gesdien, hoc est a tribu sociis unus, uti annotavit Hutterus, et alii in *Origin. Flandr.*

Transit hic Propheta a cædibus et sceleribus populi ad scelera magnatum, qualia etiam hoc ævo non raro conspiciamus; filii enim hujus sæculi sapientes sunt ut faciunt malum; ideoque tot consiliis et sociis, vel fautoribus potentibus, quasi funibus illud illicant, ut nemo illud evertere, nemo eis resistere possit; sed qui habitat in caelis iridebit eos, et Dominus subsannabit eos, uti pulchre in sequentibus ostendit Michæas. Ita Jezabel regina curavit innocentem Naboth a iudicibus condemnari et lapidari, ut ejus vineam occuparet et traderet marito Achab: approbavit hanc necem et prædam optimates Samariæ, sed illico in vindictam prosilii vigili Dei oculis, eique per Eliam fulmen maledictionis indixit. Quoecira Jezabel paulo post a Jehu regno et vita spoliat in eodem agro, quem Naboth ademerat, devorata est a canibus, III *Reg.* xxi, 23.

Ment-  
ber,  
quod  
sicut  
est mali  
socii

Præclare S. Gregorius, hom. 9 in *Ezech.*: « Tolerandi, inquit, ubique sunt proximi, quia Abel fieri non valet, quem Cain malitia non exerceat. Unum vero est, potentia, qua vitari societas malorum debeat; ne si fortasse corrigi non valent, ad imitationem trahant, et cum ipsi sua malitia non mutantur, eos qui sibi conjuncti fuerint pervertant. » Et S. Isidorus, lib. II *Soliloq.*: « Ante ignem, inquit, consistens, etiamsi ferreus sis, aliquid dissolvitur; proximus periculo diu tutus non erit: sepe familiaritas implicavit, sepe occasionem peccandi dedit, sepe quod voluntas non potuit, assiduitas superavit; » et mox: « Melius est habere malorum odium, quam consortium; sicut bona multa habet communis vita sanctorum, sic plurima mala societas affert malorum. » Ita in utramque partem magna est vis societatis. Quoecira sapienter Cassiodorus, lib. II *Epist.*: « Ipsi quoque homini, inquit, duplices manus, socius aures, oculos geminos divina tribuerunt, ut robustius perageretur officium, quod duorum fuerat societate complendum. » Et Hingo, lib. III *De Anima*: « Amabilis socius, inquit, omnibus est officiosus, et nulli onerosus; quia devotus ad Deum, benignus ad proximum, sobrius ad mundum; Domini servus, proximi socius, mundi Dominus, superiora habet ad gaudium, æqualia ad consortium, inferiora ad servitium. »

Vers. 4. 4. QUI OPTIMUS IN EIS EST, QUASI PALURUS. — Septuaginta, quasi *tinea comedens*. Sensus est, q. d. Qui inter hosce optimates injustos et rapaces videtur optimus, id est minus malus, si cum cæteris rapacioribus comparetur; is tamen quasi palurus spinosus et asper pungit, vulneratque proximos. Palurus enim est genus spinæ asperæ et acutæ, quod vulgo agrifolium dicitur, de quo Virgilius, *eclog.* v:

Cardus et spinis surgit palurus acutus.

ET QUI RECTUS, QUASI SPINA DE SEPE, — q. d. Qui inter eos videtur cæteris rector et æquior, id est

minus iniquus, is tamen distortus est, pungit læditque ut spina. Conjicte ergo quales, quam mordaces et noxii debeant esse ceteri, qui his pejores, et præsertim qui inter eos possimi et nocentissimi sunt. Rursum, sicut spina rapit lanam ovium, ovesque lacerat; ita hi substantiam simplicium rapiunt, simplicesque lacerant, ait R. David. Hebraea habent: *Rectus eorum pro sepe*, scilicet spinosus est et pungit. Unde Pagninus vertit: *Rectus eorum asperior est maceris spinarum*; et Tigurina: *Qui rectus sepe ex spinis contexta spinosior*, id est acutior et nocentior est; Syrus et Arabicus Antiochenus: *Contempserunt bona sua, quasi frustum panis corruptum a tinea*; Arabicus vero Alexandrinus: *Ego disperdam bona eorum velut tinea (vel caries) qua comedit et rapit in trahibus, sicut dies insidiarum*.

Secundo, magis presse et congrue: « Qui optimus, » id est benignissimus et mansuetissimus est inter eos; hic tamen acer « est » in puniendo, « quasi palurus » et qui rectus, » id est placens, gratus, jucundus, placidus, videtur inter ipsos; hic tamen pungit et affligit « quasi spina. » Sic sepe bonus sumitur pro suavi et miti, uti *Psalm.* LXXII, 1: « Quam bonus Israel Deus! » bonus, id est suavis, benignus, beneficus, « his qui recto sunt corde, » qui Deo cor æquum, placidum, blandum et amicum exhibent. Deus enim rectus est rectus, bonis bonus, placidus placidus, benignus benignus; ex adverso acerbis est acer, sævis sævus, crudelibus crudelis, uti canit David *Psalm.* XVII, 26 et 27.

DIES SPECULATIONIS TUE, VISITATIO TUA VENIT. — Hebraice מציב *metzappecha*, id est *speculatorum tuorum*. Unde Tigurina clare vertit: *Dies speculationum tuarum, visitationisque tuae venit*; quod explicans Vatablus: *Brevi, inquit, aderit dies, quo falsi tui speculatores, id est Prophete, prædixerunt tibi fore omnia felicia; sed falso: nam ille dies erit visitationis, id est punitiois, tuæ quo scilicet Deus sumet de te poenas, teque per Chaldaeos excindet. Et Chaldaeus: Dies mala in qua bonum expectabas, dies visitationis malitia tuae venit*, id est adest et instat. Loquitur de excidio non Samarie, uti censent S. Hieronymus, Remigius et Hingo, sed Jerusalem, ut patet ex sequentibus, ubi promittit liberationem et captivitate; hæc enim contigit Hierosolymitibus in Babylone, non Samariis in Assyria abductis.

NUNC ERIT VASTITAS BORUM. — Pro *vastitas* hebraice est מבוכה *mebuca*, quod Septuaginta et Syrus vertunt, *fletus*, a radice בכח *bacha*, id est flevit; Pagninus, *desolatio*; alii, *obsidio*; Marinus, *confusio*; alii, *destructio*; proprie Chaldaeus et Vatablus, *perplexitas*; hanc enim quasi penam appetitam opponit colligationi et conspirationi eorum in malum, de qua dixit vers. 3: « Conturbaverunt eam; » hebraice, *implicaverunt eam*, q. d. Princeps, iudex et magnates colludentes, et conspirantes in rapinas et expilationes tenuiorum,

ita suum hoc scelus corroboraverunt, et tribus quasi funibus implicuerunt, ut inextricabile videatur, nullusque ei resistere, vel evadere valeat; quocirca ego distraham hosce eorum fumes, ac vicissim implicabo illos fume, non triplici, sed centuplici Chaldaeorum undique eos obsidentium et circumvallantium, ut eorum laqueos et manus effugere nequeant; sed ita sint perplexi, ut nesciant quo se vertant, quod consilium capiant, quo fugi ut. Multo magis tropologiae perplectet eos Deus in hora mortis, et in die iudicii, cum praepavore et angore dicent montibus: Cadite super nos, et collibus: Operite nos, » *Apocal. vi, 16.*

Vers. 5.

**5. NOLITE CREDERE AMICO** (hebraice *אל תאמינו באתר*, id est socio; respicit enim ad societatem qua principes, iudex et magnates conspirant in rapinis, eamque dissolvere et plerque pergit), **ET NOLITE CONFIDERE IN DUCE: AD KA, QUE DORMIT IN SINU TUO, CUSTODI CLAUSTRA ORIS TUI.** — Varii verba hunc versus explicant, et textui adaptant. *Primo*, S. Hieronymus, Remigius, Hugo et Lyranus haec referunt ad pseudoprophetas, *q. d.* Nolite iis credere, quia, si inter homines, vel genere, vel fœdere conjunctos, quales sunt amici, duces, conjuges, nurus, rara est fides, uti experientia testatur; quanto magis rara erit fides in pseudo-prophetis, qui somnia fingunt, ut adulterum, et emungant bursas populorum suorum.

*Secundo*, alii melius generatim haec verba accipiunt, ut taxent infidelitatem hominum illius aevi, *q. d.* Hoc tempore tanta est hominum perfidia, ut nec socius socio, nec uxor marito, nec subditus duci, nec socrus nurui credere possit; quia ipsi domestici hominis sunt ejus inimici. Sapienter ergo agit, qui omnes suspectos habet, nemini fidem commodat, nemini se credit; sed ipse sibi consulti et prospicit. Hoc est quod eodem aëvo deplorat Jeremias cap. ix, 4: « Unusquisque, ait, se a proximo suo custodiat, et in omni fratre suo non habeat fiduciam: quia omnis frater supplantans supplantabit, et omnis amicus fraudulenter incedet, » etc. Cui plane similia sunt verba Michæe, quæ sequuntur: « Quia filius contumeliam facit patri, et filia consurgit adversus matrem suam. » Quæ si plane ut sonant capiantur, non aliud quam malitiam et perfidiam illius seculi significant. Hic ergo sensus uti simplicior est planior, ita et germanior videtur; explicat enim et exaggerat id quod dixit vers. 2: « Perit sanctus de terra, etc. Vir fratrem suum ad mortem venatur. » Et illud vers. 3: « Qui optimus in eis est, quasi palurus, » etc. Et hoc sensu videtur hæc Michæe verba citare Christus *Matth. x, 34*, de quo mox plura.

Per se  
sensu  
descrip-  
tio.

Atque hic sensus, utpote generalis, cæteros omnes, præsertim tertium, quem jam assignabo, complectitur. Tale pariter ferreum mundi hominum sæculum describit Ovidius *Metamorph.*:

Vivitur ex rapto, non hospes ab hospite tuus,  
Non socer a genero, fratrum quoque gratia rara est;

Imminet exitio vir conjugis, illa mariti;  
Lurida terribiles miscet aconita nocere;  
Filius autem diem patrios inquit in annos;  
Viola jacet pietas, et virgo caede maledætes  
Ultima colistem terras Astræa reliquit.

Porro signanter et sapienter ait: « Ab ea que dormit in sinu tuo, » id est ab uxore, ut vertit Chaldaeus (sic enim dicitur *Deut. xiii, 6*: « Uxor que est in sinu tuo; » et cap. *xxvii, 34*: « Uxor que cubat in sinu suo »), « custodi claustra oris tui, » id est ne uxori credas, ne ei reveles tua secreta: os enim est quasi ostium, quod sensu peioris instar ostii claudit silendo, vel aperit loquendo: unde sua habet claustra et seras, scilicet labia et dentes, quibus natura nos monet, ut iis os et linguam clausa teneamus, præsertim coram feminis. Nam mulier est inconstans atque garrula: « Varium et mutabile semper femina, » ait Virgilius. Ita Dalila Samsonem prodidit, cum ipse ei revelasset suam fortitudinem sitam esse in coma, *Jud. xiii*. Ita Jezabel perdidit Achab, cum ei revelasset causam suæ tristitiæ esse cupidinem vineæ Naboth, *III Reg. cap. xv et xvi*. Quocirca Cato, teste Plutarcho, de tribus dolebat: *primo*, quod in hac vita tam incerta, vel uno die infestatus mansisset; *secundo*, quod eo mari et navigio profectus esset, quod poterat ire terra et pedibus; *tertio*, quod secretum suum revelasset mulieri. Vere Antiphanes apud Stobæum:

Quid sis? cum latere velis aliquod negotium, mulieri  
Ipsum aperies? at quid interest, sive mulier,  
Sive omnibus in foro præconibus narrare?

Vide Plutarchum, lib. *De Garrulitate*. Prudenter Seneca: « Alium silere quod vales, primus silere. » Et Valerius Maximus, lib. VI, cap. xi: « Taciturnitas optimum atque tutissimum rerum administrandarum est vinculum. » Vide S. Augustinum, lib. XIX *Civit.* cap. v, ubi tractans hunc Michæe locum, eum duabus Genitilium sententiis illustrat. Una est Terentii in *Adelphis*: « Duxi uxorem, quam ibi miseriam vidi? » imo, quam ibi miseriam non vidi? Et in *Eunucho*: « In amore hæc omnia insunt vitia, injuriæ, suspiciones, inimicitie, induciæ, bellum, pax rursus: necne res humanas ubique impleverunt? » Altera est Ciceronis, lib. *De Amicitia*: « Nulla sunt oculioribus insidie, quam eæ que latent in simulatione officii, aut in aliquo necessitudinis nomine. Nam eum qui palam est adversarius, facile cavere possis. »

Huc pertinet expositio *Ariæ*, quæ partialis est: qui putat hic significari subditis et popularibus cavenda esse commercia cum principibus, *q. d.* Nolite, o populares, miscere vos rebus principum, ut vel amicitiam cum eis ineatis, vel inimicitiam ostendatis detrahendo eis, et facta eorum carpendo apud vestros amicos, uxores, filios, etc., quia hi audita non silebunt, sed partim ex garrulitate, partim ex malevolentia, qua vobis irati et offensis nocere cupiunt, narrabunt ea aliis,

et hi aliis et aliis, ita ut ad aures principum perveniant, qui se vindicabunt et vos acriter punient, juxta illud *Eccles. cap. x, 20*: « In cogitatione tua regi ne detrahas, et in secreto cubiculi tui ne maledixeris diviti: quia et aves cœli portabant vocem tuam, et qui habet pennas annuntiabit sententiam. »

*Tertio*, alii censent hæc spectare et explicare acerbitatem visitationis, id est punitionis et vastitatis, vel, ut hebraice est, perplexitatis Judæorum, maxime optimatum, in excidio Hierosolymæ per Chaldaeos, de qua proxime præcessit, *q. d.* Tanta erit calamitas, tanta fames, tanta angustia, tanta perplexitas civium, præsertim optimatum, qui pauperes suis consiliis et conspirationibus impluerunt et diriperunt, in obsidione Hierosolymæ, ut quisque pro se uno sollicitus sit, et neminem alium, ne amicum quidem, ducem, uxorem, aut nurum curet, imo nulli fidat suæ vite subsidia, vel fugæ consilia; sed panem quem habet ab iis abscondat, ut eo solus ipse vesci, et vitam suam sustentare possit; latebras, vel vias et modos effugiendi manus Chaldaeorum, quos ipse invenit vel excogitaverit, silentio premat et sibi servet, ne ab amico vel uxore sibi præcipiant. Ita Theodoretus, a Castro, Ribera et alii. Unde sequitur:

Vers. 6.

**6. QUIA** (in tanta fame, perturbatione et angustia) **FILIUS CONTUMELIAM FACIT** (id est faciet) **PATRI** (ut cum eo litiget et pugnet pro pane, eumque illi eripiat), **ET FILIA CONSURGIT** (id est consurgit adversus matrem suam (simili de causa): ET INIMICI HOMINIS (id est ejusvisus, ut vertit Chaldaeus) DOMESTICI EJUS, — supple erunt; quia domestici passim inter se contendunt et pugnant pro pane, latibulo, similive re ad vitam, in tanto periculo tuendam necessaria.

Allegorie, hæc discordia et pugna Judæorum corporalis, id est ob bona corporalia, representabat discordiam et pugnam spiritualem (id est ob fidem et bona spiritalia) fidelium et infidelium, puta persecutionem infidelium etiam parentum, fratrum et cognatorum contra Christianos, sive Judæos, sive Gentiles tempore Christi et legis novæ, maxime quando propter ipsos incurrebant periculum famæ, honorum et dignitatum, vel etiam vite. Et hoc sensu citat hæc Michæe verba Christus *Matth. x, 34*: « Non veni, inquit, pacem mittere, sed gladium. Veni enim separare hominem adversus patrem suum, et filiam adversus matrem suam, et nurum adversus socrum suam; et inimici hominis, domestici ejus, » *q. d.* Veni mittere separationem et dissidium inter fratres et parentes, in re simile illi quod prædixit Judeis Michæas; sed dissimile in causa. Illud enim Judæorum fuit ob malitiam eorum; vel, ut alii volunt, ob obsidionem Chaldaeorum, in qua adeo fame, peste et gladio vexati sunt, ut etiam frater fratri, filius patri, filia matri, panem, domum, arcem ad se salvandum præriperet: hoc vero

meum et christianorum, erit propter fidem, pietatem et cultum Dei ex parte fidelium, sed propter malitiam pariter ex parte infidelium. Veni ergo mittere gladium, id est separationem et discordiam in fide et religione, ut scilicet fideles meos proprie pro fidem separem ab infidelibus: hi vero, inde occasione jurgandi accipia, separant se a fidelibus sua infidelitate, odio et persecutione, qua eos bonis et vita mulerent. Et hoc posterius maxime intendit Christus, illudque magis respondet menti Michæe, ex quo hoc mutatus est Christus: « Veni enim separare hominem adversus patrem suum, etc., et inimici hominis domestici ejus. » Quia eveniet, ait S. Chrysostomus *orat. Contra Judæos*, ut in eadem domo unus sit fidelis, alter infidelis, et pater filium velit trahere ad impietatem. Hoc prædicans ait: Adeo vincet potestas Evangelii, ut filii quoque contemnant parentes suos, filias matres, et parentes liberos, imo ut animas et omnia pro pietate exponant. » Unde subdit Christus: « Qui amat patrem, aut matrem, plus quam me, non est me dignus. Et qui non accipit crucem suam, et sequitur me, non est me dignus: » *q. d.* « crucem, » ut scilicet paratus sit pro me, meaque fide et obsequio, ferre verbera, opprobria, et mortem etiam durissimam et ignominiosissimam, qualis est crucis: « quia sicut summam vobis attuli beatitudinem, sic singulare obedientiam et affectionem a vobis postulo, ut in acie mea sitis leones, » ait S. Chrysostomus. Idem S. Chrysostomus, hom. 36 *in Matth.*: « Inimici hominis sunt, qui in domo ejus sunt. » « His verbis, inquit, Propheta omnibus rebus superioriorem conatur facere eum, qui dicta ejus esset suscepturus. Nec enim mori, sed male mori malum est. Ideo dicebat: Ignem veni mittere in terram: quibus verbis vel significare magnitudinem ac ardorem charitatis quam flagitavit. Nam quoniam ipse nos mirum in modum dilexit, ideo singulari a nobis quoque charitate diligi desiderat. » Non ergo Christus abulit verbis Michæe, uti quidam interpretes asseruerunt; sed recte ea suo aëvo suoque argumento applicat, *q. d.* Nunc per Evangelii mei predicationem fiet dissidium fratrum et parentum tale, quale olim prædixit Michæas: etsi aliam, et pietentior em causam. Quocirca nunc pariter licet usurpare celebrem hanc sententiam Michæe, quæ in commune proverbium abiit: « Et inimici hominis domestici ejus. » Est enim hæc generalis sententia et gnome, quæ usum habet in omni loco, materia et tempore, quando de meo et tuo in eadem domo vel cœtu agitur et litigatur: tunc enim quisque pro se, suaque re et commoditate pugnant inimicos habet non extraneos, sed domesticos, qui illud eripere sibi que vindicare satagunt. Quocirca anagogice, hæc gnome verissima est in gehenna, ubi summi inimici sunt, qui in hac vita fuerunt summi amici, puta parentes, fratres, domestici et socii in scelere, ob quod ad gehennam

damnati sunt. Hi enim quasi canes in se invicem ringunt, maledicunt, et improperant dicendo: Maledictus sis, pater, qui me lascivientem non castigasti, sed in scelere educasti, ut fierem fomes gehennae. Maledictus sis, frater, qui me ad scortia et crapulam verbo et exemplo invitasti. Maledicta sis, uxor, quae me ad opes per fas et nefas corrogandas sollicitasti. Maledicta sis, filia: quia propter vos orandas et ditandas ego injuste bona aliena occupavi, fenera et injusta luera captavi, ob quae nunc uror igne aeterno.

7. EGO AUTEM AD DOMINUM ASPICIAM (1). — In tantissimali sanum dat consilium, sequae exemplum, q. d. In tanta Judeorum tum calamitate et obsidione, de qua dixi vers. 5; tum malitia et perfidia, qua frater fratrem, pater filium prodest et perdet; ego Michaeas, meique similes sancti et sapientes, non ad parentes et amicos, utpote perfidos, sed ad Deum intentis oculis mentis magis, quam corporis aspiciemus, illum unum invocantes, illi nos commendantes, ab illo solo opem et liberationem et tantis malis poscentes et expectantes, juxta illud rebusissimum Josaphat pii et prudentis regis in saebis afflictis, et pene perditis consilium: « In nobis quidem non est tanta fortitudo, ut possimus hujus multitudinis resistere, quae irruit super nos: sed cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te, » *II Paralip. xx, 12.* Deus enim in rebus deploratis unicum est perfugium et asylum, ac in illis gaudet opitulari, ut ostendat summam suam potentiam et beneficentiam, praesertim in eos qui id credunt, sperant et postulant. Quocirca tunc summe vitanda est diffidentia et desperatio, ac maxime excitanda certa in Deum spes et fiducia; quae si adsit, certo Dei opem, etiam per miraculum eliciat, ut contigit Lot obsesso a Sodomitis, *Genes. xix*; Mosi et Hebraeis a Pharaone, *Exod. xiv*; Judith et Bethulae obsessae ab Holoferne; Davidi obsesso a Saule, *I Reg. xxii, 27*; Machabeis obsessis ab Antiocho; Ezechiae obsesso a Sennacherib, *Isaia xxxviii, 14*. Hoc est quod vulgo dicitur: « Deus ex machina, » scilicet ex insperato apparens et opitulans.

EXPECTABO DEUM SALVATOREM MEUM, — scilicet ad litteram Deum, qui me, meique similes tum a Chaldaeis, tum a perfidis Judeis liberet. Allegorice, expectabo Christum, qui a diaboli captivitate, omniumque impiorum insultu nos liberabit. Hinc Christus vocatus est Jesus, id est salvator mundi. Loquitur Michaeas ad litteram in persona Jeru-

(1) Juxta Rosenmuller, Propheta hic loquitur in persona eorum inter suos populares, qui a Jove cultu non deferunt. Probabilis qui loquitur hic, intelligendus censet Maurer, qui non fidem Jovis servaverunt, sed eos qui ab eo deferunt, et qui depoli ad calamitatem, eam se sua culpa sibi contraxisse agnoscunt, vers. 9. Itaque quae his quatuor versibus continentur, referre putanda sunt ea quae dicitur sit populus, cum acciderit denuntiata a vate calamitas (vers. 4), eaque populus doctus intellexerit se errasse.

salem (id est civium ejus fidelium et piorum) a Chaldaeis obsessa, vastata, abducta in Babylonem, ut notat S. Hieronymus, Theodoritus, Rupertus, Hugo, Lyranus et alii; quae enim sequuntur constat esse verba Jerusalem. Ait enim:

8. NE LATERIS INIMICA MEA SUPER ME, QUIA CECIDI (Vers. 4). (Jerusalem inimicam suam vocat, non Romam, ut volunt Judaei; sed vel Babylonem vastatricem suam, ut vult S. Hieronymus, Remigius, Vatablus et alii; vel potius Idumaeam: Babylon enim omnium gentium, sed Idumaea propria et avita fuit Judeorum inimica, quae proinde in ejus excidio gavisae est et applausit: unde omnes pene Prophetae hoc illi improperant, ideoque ei simile excidium comminatur, ut facit Abdias tota sua propheta. Quare vers. 12: « Non despicias, inquit, in die fratris tui, et non letaberis super filios Juda in die perditionis eorum, etc. Quoniam juxta est dies Domini super omnes gentes: sicut fecisti, fiet tibi, retributionem tuam converteret in caput tuum. » Et Psaltes, *Psal. cxxxvi, 7*: « Memor esto, Domine, filiorum Edom, in die Jerusalem, qui dicunt: Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea. » Similia habent Jeremias cap. *xiv, 12*, Amos cap. *i, 11*, et alii. Sensus ergo est, q. d. Ne lateris in mei excidio, o inimica mea, o aemula Idumaea: licet enim ceciderim, tamen post 70 annos rursus Deus per Cyrum me eriget et restaurabit: tunc CONSERVAM cum SENERO IN TENEBRIS (puta in tenebroso carcere Babylonio; quia) DOMINUS LUX MEA EST, — non formalis, sed causalis; hoc est, Deus me sedentem in tenebris captivitatis *humaniabit*, ut vertunt Septuaginta et Chaldaei, lucique, id est laetitia, libertati et felicitati, et quasi vitae (horum enim symbolum est lux, sicut ex adverso tenebrae symbolum sunt tristitia, captivitas, adversitas et mortis) restituet. Sic in tenebris, id est aeternis, constitutus David ad Deum, quasi ad lucem, respiciens ait: « Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem timebo? Dominus protector vitae meae, a quo trepidabo? » *Psal. cxvi, 1.*

Moraliter S. Ambrosius in *Psal. xxxvii*, ad illud: *Quoniam in te, Domine, speravi*; citans haec Michaeas verba: « Non est, inquit, gravis infirmitatis ruina, si non sit etiam voluntatis studium. Habe voluntatem surgendi, praesto est qui faciat ut resurgas. » Et paulo ante: « Quia etsi peccavi, tu peccatum dimittis: etsi ego cecidi, tu resuscitas; ne habeant unde exultare possint, qui peccatis letantur alienis. Plus enim acquiescimus, qui plus peccavimus: quia beatorum facit tua gratia, quam nostra innocentia. Audiant hoc peccatores poenitentes, audiant et gaudeant.

9. IRAM DOMINI PORTABO, QUONIAM PECCAVI EI. — Vers. 4. « Iram, » qua scilicet me Jerusalem per Chaldaeos castigat, vastat, et in Babylonem abducat, q. d. Ego Jerusalem portabo iram, id est sustinebo penam excidii, ex ira Dei mihi inflatam. Loquitur enim Michaeas in persona Jerusalem, id est

civium ejus piorum et fidelium, qui in ejus excidio bonis et libertate spoliabantur. Unde patet viros pios et sanctos portare iram Dei, dum pro peccatis suis puniuntur. Hinc sequitur Deum, licet peccatori poenitenti condonat iram, id est culpam, non tamen illico condonat omnem iram, id est penam, ut volunt haeretici. Est enim duplex ira Dei. *Primo* est odium, quo peccatorem odit, quasi hostem suum, eique vult summum malum et perniciem, dum eum destinat gehennas: haec tollitur per poenitentiam, qua peccatori reconciliatur: cum eoque in gratiam redit. *Secunda* ira est, qua poenitentem, licet reconciliatum, non vult relinquere impunitum, sed ob peccata praeterita ei vult malum aliquod, puta castigationem; dum eum destinat morbo, fami, spoliationi, captivitati, etc. Hanc portat Michaeas, et Sancti.

Dices: Per poenitentiam tollitur omnis offensae animo Dei, ita ut amplius peccatori non sit offensus; sed ei peccatum plane condonet, eique omnino reconcilietur: ergo pariter tollitur omnis ira. Respondeo ad antecedens: Duplex est offensae, sicut et ira. Prior offensae vel offensio, est ipsa inimicitia et hostilitas: haec omnis tollitur per poenitentiam. Posterior offensae est voluntas castigandi et puniendi aliqua poena temporalis voluptatem, quam percipit peccator in actu peccati. Haec residet et remanet in animo Dei, donec peccator eam luat, vel Deum eam condonet; sicut David condonavit offensam priorem Absaloni, dum eum, licet fratricidam, in gratiam recepit, non tamen posteriorem; nam dixit: « Faciem meam non videat, » *II Reg. xiv, 24*. Ex parte ergo adhuc ei offensus fuit, quia noluit eum videre. Ita David ipse portavit hanc iram et offensam Dei: nam cum correptus a Nathan de suo adulterio et homicidio puniret, diceretque: « Peccavi Domino, » illico ab eo audivit: « Dominus quoque transtulit peccatum tuum: non morieris. Verumtamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius, qui natus est tibi, morte morietur, » *II Reg. xii, 13*. Quocirca David, licet jam seiret remissum sibi esse peccatum quoad culpam, tamen adhuc iram, id est vindictam et penam Dei deprecatur dicens: « Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripas me, » *Psal. vi, 1*. « Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam. Et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. Amplius lava me ab iniquitate mea, » *Psal. l, 1, 2*. Lavisti me abstergendum culpam, sed amplius lava abstergendum omnem iram et penam. Porro hanc Dei castigationem recte dici iram, verique procedere ex ira et animo irato Dei, hoc argumento demonstrat Gregorius de Valentia tract. *De Satisfact. contra Haeret.* cap. iii: Irasci, inquit, vel esse intensum alicui, est velle ei evenire aliquod malum: atqui Deus vult ut poenitenti, licet sibi reconciliato, hoc malum poenae temporariae contingat, imo illud positive et

immittit et infligit, dum eum castigat; ergo hoc ipso aliquo modo illi irascitur, estque adeo adhuc in Deo erga illum offensae, pro qua debeat et possit compensatio fieri. Unde Syrus et Arabius pro *iram* vertunt, *plagam Domini portabo*.

Moraliter, id ipsum dicunt poenitentes, cum a Deo morbo, paupertate, persecutione alicujus aerumnis, ac praesertim tentatione illius concupiscentiae, cui olim consenserunt, recurrente, affliguntur: « Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei. » Tollam volens grabatum meum, in quo volens jacui, et ambulabo. Ita S. Maria Aegyptiaca tot annis passa est acres tentationes libidinis, quot in ea vixerat, puta septemdecim. Ita S. Machabei martyria sua peccatis suis ex humilitate ascribunt, *II Machab. vii*. Novi viros religiosos, qui quoties adversi quid eis accidit, subito dicunt: Mea culpa, haec mea culpae justa est poena. Ita Mauritius imperator videns in conspectu suo quinque filios necari a Phoca imperatore, exclamabat: « Justus es, Domine, et rectum judicium tuum. » Resisterat enim olim S. Gregorio Pontifici in iuribus Ecclesiae, ideoque hac poena a Deo mulctatus est, imo eandem ipse expetit, ut futuram et aeternam redimeret. Ita ex Theophaene Baronius, anno Domini 602.

Aegrotis haec applicat S. Basilius in *Requisitis suis explicatis*, interrogat. 53: « Morbi, inquit, saepe peccatorum flagella sunt, quibus nihil aliud agitur, nisi ut viam in melius commutemus. Quare qui ejusmodi sunt, hi, omissis medicorum auxiliis, invectas tibi acerbitates ferre silentio debent, quodcumque se peccasse animadvertent; atque illum imitari, qui dixit: Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei; nec non vias suas prava studia emendare, et dignos poenitentiae fructus edere. »

DONEC CAUSAM MEAM JUDICET (et vindicet: licet enim ego juste puniar respectu Dei, cui peccavi, tamen injuste haec patior a Chaldaeis, et Idumaeis, quibus nihil nocui, quique nullum in me, meumque excidium et direptionem jus habent. Chaldaei enim nullum justum belli titulum habuerunt, quo juste et licite possent Judaeos invadere et vastare. Porro judicabit et vindicabit causam meam Deus, cum) REDUCET ME IN LUCEM (puta in libertatem e carcere Babylonio; nam tunc) VIDEBO JUSTITIAM EJUS (justam scilicet vindictam, qua pari reddet Chaldaeis, dum eos vastat per Cyrum, sicut ipsi nos vastarunt; atque Idumaeis, dum eos a Chaldaeis pariter in captivitatem abducos, in ea relinquit, nec in patriam reducit, uti reducit me. Rursus dum eos per Judam alioque Machabeos, mihi meoque legi subjugabit, *I Machab. v, 3*. Tunc ergo) INIMICA MEA (id est hostilis Babylon; vel potius aemula et invidiosa Idumaea) ASPICIET (cum more et pudore suae cladis et aerumnas), ET OPERIETUR CONFUSIONEM, QUAE (mihi insultans tunc) DICIT AD ME: UBI EST DOMINUS DEUS TUIS? (liberet te ab hoc excidio.

Deus in aereis adest et invocatur.

Duplex ira De

Mauritius, just poenitentiam portans Dei.

Vers. 6c.

Videbit enim meam libertatem et felicitatem sub Cyro; unde tunc rumpetur invidia. Nam) *oculi mei videbunt in eam* (g. d. Ego in alto Sionis et elicitatis culmine rursum constituta, despiciam Idumæam humi jacentem, afflictam, et pene exanimem, dicamque); *Nunc erit in concalcationem ut lutum platearum*, — quæ me superbe olim despexit, irrisit et afflixit. Nam paulo post cladem Hierosolymæ conculcaverunt Idumæam Chaldaei, et postea Machabæi.

Vers. 11. 11. *DIES, UT EDIFICENTUR MACERIE TUE.* — *Primo*, Theodoretus pergit hæc de Idumæa accipere, g. d. Veniet tibi, o Edom, dies obsidionis Chaldaeorum, quo macerias et murorum ruinas instaurabis, ut iis te tuaris, et Chaldaeis resistas: sed frustra; nam muros vel disjicent, vel transcendunt Chaldaei, teque capient et diripiunt.

*Secundo*, S. Hieronymus uti præcedentia, ita et hæc accipit de Babylone, g. d. Veniet tibi, o Babylon, dies, quo te obsidebant Cyrus et Darius, ac consequenter quo cogaris instaurare tuos muros. Sed frustra: nam capiet et vastabit te Cyrus: « In illa die longe fiet lex, » g. d. Deinceps non pones leges et jura Cyro et Persis, sed ab eis accipies.

*Tertio* et germane, cum eodem S. Hieronymo, Chaldaeo, Remigio, Ruperto, Hugone, Clario, Ribera et aliis hæc accipit de Jerusalem, ejusque restauratione per Esdram et Nehemiam, g. d. Brevi, o Jerusalem excisa, et in Babylone abducta, veniet tibi dies læta et felix, qua a Cyro laxata, et remissa in solum patrium, maceriam, id est ruinas, et parietes edificiorum tuorum ex incendio reliquos restaures.

*In die illa longe fiet lex.* — Hoc est, *justio imperiosa*, ut veritè Theodotus et Symmachus, Chaldaeorum scilicet, qui tibi tyrannice imperabant, g. d. Non eris amplius imperio, legibus et edictis Chaldaeorum subjecta. Unde Tigurina vertit: *Dies est ut referantur sepes tue*, ab hostibus diruta, *quo die decretum proci erit*; Pagninus vero: *Die illa quo edificabit Dominus macerias tuas, elongabitur tributum*, g. d. Non pendes amplius tributum quod Chaldaei pendere solebas.

Vers. 12. 12. *IN DIE ILLA* (libertatis et reditus e Babylone in patriam) *ET USQUE AD TE VENIET DE ASSUR* (ita legendum cum Romanis, Hebraeis et Græcis, non, ad te veniet Assur, ut legunt multi. Sensus est, g. d. In die illa restaurationis tue, o Jerusalem, non tantum liberaberis ab hoste, ejusque jugo, lege et imperio; sed etiam captivi tui sparsi per Assyriam, Mediam, Persidem, etc., inde ad te redibunt, et ad alias suas Judææ civitates munitas, quin et ex his spargentur) *USQUE AD FLUMEN* (suum, scilicet Jordanem, ait S. Hieronymus, vel potius usque ad Euphratem, Jordanis enim non fuit limes, sed potius medium Terræ sanctæ; limes vero ei a Deo status ad orientem fuit Euphrates, *Jesse* cap. 1, 4. Ita Chaldaei et Vatablus. Et ab uno mari diffundes tuos cives usque ad mare alterum,

puta a mari Gallææ, quod est Orientale, usque ad mare Mediterraneum, quod est Occidentale; atque ab uno monte usque ad alium, puta a monte Libano, qui terminus est Judææ ad septentrionem, usque ad montem Idumææ, qui terminus est ejusdem ad meridiem. Ita Theodoretus g. d. Spargeris, o Jerusalem, o Synagoga, per te tam tuam terram et ditionem olim tibi a Deo assignatam, quaquaversum ad omnes ejus mundi plagas. Notat enim hic quatuor terminos et limites Terræ sanctæ Judææ promissæ: ejus enim terminus ab oriente, est mare Gallææ, sive Libiadis: ad occidentem, mare mediterraneum: ad septentrionem, Libanus: ad Meridiem, montes Idumææ.) *AD MONTEM DE MONTE.* — Pro eo hebraice est *הר הר* har har, quod Pagninus et Vatablus vertunt: *Usque ad Hor montem.* Verum Hor mons nusquam ponitur terminus Terræ sanctæ, ac longe ab ea distat, siusque est in Arabia. *Rursum* Vatablus hæc omnia accipit de Chaldaeis, eorumque victoriis, g. d. Hæc afflictio Chaldaeorum perveniet usque ad Terram sanctam: ipsi enim vastabunt omnia ab Assyria usque ad civitates munitas Ægypti, et usque ad Judæam ejusque limites. Verum ad Hierosolymæ restorationem hæc spectare, patet ex vers. 11: « Dies, ut edificentur macerie tue, » o Jerusalem. Eadem enim cum illa est dies hæc, in qua cives ejus ab Assur profugos, ad Jerusalem redituros predicti. Idem patet ex vers. 14 et seq. Insuper, a Castro per montem de monte accipit montem montium, puta montem Sion, qui situs est in medio montium, eisque eminet quasi rex et princeps. *Tertio*, aliqui recentiores *ad montem de monte*, sic exponunt, g. d. A monte Carmelo, usque ad montem Libanum. Verum nec Sion, nec Carmelus fuerunt limites Terræ sanctæ: sed potius in medietate ejus siti sunt. Quare prior sensus, quem initio assignavi, genuinus est. Quod enim aliqui per Assur accipiunt Sennacherib, sicque exponunt, g. d. Veniet tibi, o Jerusalem, dies obsidionis et vastationis Sennacherib, qui conculcabit legem Dei, terramque sanctam: capiet enim omnes civitates Judææ munitas, unde tota terra erit in desolationem. Hic, inquam, sensus minus congruus est; nam, ut alia taceam, de Sennacherib ejusque strage jam pridem egit cap. II, 13 (1).

(1) Nobis, inquit Maurer, cum *maria* et *montes* naturales terrarum terminos efficiant, illud a *maris ad mare*, et a *montibus ad montes*, nihil aliud exprimere videtur quam ab uno fine ad alterum. Prius finis describeret videtur ab oriente ad occidentem, posterius finem a septentrione ad meridiem. Ad prius confertur *o iam* mare, sæpe de plaga occidentali dictum, quoniam mare medium situm est ad occidentem Terræ Chanaanæ; ad posterius autem quod attinet, recte, puto, Rosenmuller: « Videtur, ait, Hebraei opinati esse terminari terram septentrionali et australi cœli plaga montibus, quemadmodum prisca Græci et Latini ultimis septentrionem versus terræ oris Rhipæum montem, austrum versus Atlante posuerunt. (Maurer.)

Vers. 13. 13. *ET TERRA ERIT IN DESOLATIONEM* (« Terra, » non Judæa, sed et inimica et hostilis, e qua Judæi liberati a Cyro redibunt læti et felices in Jerusalem, eamque restaurent, g. d. Cum Jerusalem restaurabitur, tunc Babylon, quæ eam vastavit, desolatam a Cyro) *PROPTER HABITATORES SUOS* (propter impios Chaldaeos, qui populum Dei fidelem et piuum afflixerunt), *ET PROPTER FRUCTUM COGITATIONUM EORUM*, — puta propter perverſa eorum opera: hæc enim sunt fructus et effectus cogitationum et machinationum pravaram, g. d. Babylon ob tyrannidem et scelera sua vastabitur (1).

Vers. 14. 14. *PASCE POPULUM TUUM IN VIRGA TUA* (Sunt hæc verba oratio Prophete, quibus Micheas Deum obsecrat, ut virga sua pastoralis, id est providentia sua paternam, suoque sceptro, quod dedit tribui Juda, et Davidis posteris, ut censet Theodoretus, puta per Zorobabel ejusque posteros pascat regatque Judæos, qui sunt Dei populus, hæreditas et Ecclesia), *HABITANTES SOLOS IN SALTU*, — id est qui cum soli et omni ope destituti, quasi in saltu inter feras, solioet inter Gentiles et idololatrias Babylonios captivi tenentur. Ita Vatablus et Dionysius. Aut, qui separati a gentibus soli te colunt, tecumque quasi cum suo pastore versantur, ut sole sunt oves in saltu cum suo pastore. Ita Theodoretus et Clarius.

Allegorice S. Hieronymus, Haymo, Remigius, Rupertus, Hugo et Arias censent hæc esse verba Patris æterni ad Christum Filium, g. d. Ego te, o fili, jam incarnatum pastorem meum constituo, jubeoque ut pascas oves meas, puta fideles christianos baculo pastoralis, tui potestate Evangelica, quam summam tibitrado. Hinc Christus abiens in cœlum, hanc potestatem totidem verbis in S. Petrum resignavit, eumque in hoc pastoralis officio vicarium constituit dicens: « Pasce oves meas, » *Joan. XXI, 17.*

*IN MEDIO GARMELI.* — Refer hæc verba, non ad pascentur, quod sequitur, nec ad habitantes, quod præcedit, sed remotius ad pasce, ita Romana, g. d. Eia, Domine, redeant Judæi ad Carmelum, suosque agros et urbes, ibique eos pasce, quasi in Carmelo, id est large et affluenter. Carmelus enim,

(1) Permulti interpretes hic agi putant de terra Hierosolymitana, quæ priusquam impleatur magnificæ promissiones vers. 11, 12 lacte, tota vastabitur. In qua eadem sententia sunt Rosenmuller, Ackermann, Hitzig, etc. Negari tamen non potest, inquit Maurer (confirmans nostri Cornelii sententiam), cum non expressa sit *in ek*, aut alia restringendi particula (velut *והר* ata, *jam, nunc*, cap. IV, 14, nexu illi qui hic esse putatur similimo), sed simpliciter dicitur *והר* oviata, et erit, quasi continenter dicta versus superiore, duram esse istam interpretationem; contra faciliorem et aptam, ideoque præferendam expeditionem eam, ex qua denuntiaripotatur vastatio terræ hostilis, ita ut vates ab illo inde tempore (11, 12) populorum exterorum terram propter injurias ab illis illatas Hebræis vastatam ac desolatam futuram esse minetur, quemadmodum vastata et desolata fuerit ante, incolis in exilium abductis, terra Hebræorum.

utpote mons fertilis, ob optima gregum pascan, fertilitatis et abundantie est symbolum. Aut effluens, g. d. O Domine, pasce tuos Judæos in Babylone, quos in horrido et spinoso saltu constitutos; pasce, inquam, eos ibi ita secure et largiter, ac si essent in Carmelo patrio, herbido et luxuriantia: fac ut Babylon eis sit Carmelus, sicut fecisti, ut tribus pueris fornax Babylonia esset hortus rotundus, imo paradus, *Daniel, III, 30.* Ita Deus S. Tiburtio martyri prunas ardentis vertit in rosas; et S. Laurentio ignem in rorem et refrigerium; quin et S. Cæciliæ, S. Agneli, S. Lucie, aliisque S. Virginibus et Martyribus tormenta in gaudia, equales in epulas, cruces in delicias commutavit. Tanta est Dei nostri vis et potentia, tanta bonitas, tanta dulcedo in suos fideles et filios. Priori sensui paulo magis favet id quod sequitur:

*PASCENTUR* (Judæi, cum eos e Babylone redixeris in Judæam) *BASAN ET GALAAD* (qui sunt montes pingues, et pecorum divites, *Basan*, id est in *Basan*, g. d. Sicut oves in *Basan* et *Galaad* pascentur et pinguescent, sic et Judæi ibidem isdem ovibus omnique rerum copia a Deo pascentur) *JUXTA DIES ANTIQVOS*, — id est, sicut olim sub Davide et Salomone ibidem pascebantur. Aut « pascentur, » id est depascentur « *Basan* et *Galaad*, » et cæteros fertilissimos Judææ montes et agros, hoc est pingues Judææ fruges, proventus et fructus colligent et comedent. Perstat in metaphora pastoris, ovium, et pascorum: Deum enim comparavit pastori, Judæos ovibus, Judæam pascentur Carmeli, *Basan* et *Galaad*: hæc enim depascentur oves.

Vers. 15. 15. *SECUNDUM DIES EGRESSIONIS TUE DE TERRA ÆGYPTI*, — g. d. Sicut Judæos ex Ægypto per tot plagas et portenta a Mose edita miraculose eduxi; ita pariter eorum posteros ex Babylone per multa mira, imo miracula educam. Nam *primo*, conciliabo eis Cyrum et Darium idololatrias, ut eos Babylone liberent. *Secundo*, in itinere et reditu eis adero, ut parvuli, femine, senes et debiles, sine noxa læti et alacres illud, licet longum et molestem conficiant, uti confecerunt patres eorum in deserto, cum ex Ægypto pergerent in Chanaan. *Tertio*, cum in Judæam appulerint, gentes vicinas, hostiles et invidas frenabo, ne eis nocere, neve fabricam Jerusalem et templi impedire queant. Hæc enim ita configisse patet *I Esdræ* IV et V, et *Beruch. v.* Ita Theodoretus, Lyranus et Vatablus.

Allegorice, Christus multo magis admiranda fecit, quam Moses vel Esdras, in liberatione hominum e captivitate diaboli; nam, ut taceam mira incarnationis, nativitatis, prædicationis, transfigurationis, passionis, resurrectionis, ascensionis, missionis Spiritus Sancti mysteria, et miracula ab eo, dum viveret, patrata; pro mortem per paucos Apostolos abjectos et pauperes, prostravit omnem potentiam et sapientiam mundi,



sit. Hoc est quod de eo ejusque adventus causa, canit Zacharias *Luce* 1, 72 : « Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, et memorari testamenti (promissionis et pacti) sui sancti; » quod testamentum est magnum illud « jusjurandum, quod juravit ad Abraham patrem nostrum daturum se nobis. » In Christo enim omnes promissiones, et magnificæ pollicitationes Patriarchis et Prophetis factæ, finiuntur et adimplentur. Meminit Abraham et Jacob, non Isaac, tum quia Isaac medius inter Abraham et Jacob, in his includitur et subintelligitur; tum quia clariore promissiones factæ sunt Abraham et Jacob quam Isaac; tum denique quia promissiones factæ Isaac, in solum Jacobum omnesque ejus posteros descenderunt: ab his enim exclusus fuit Esau, alter, isque primogenitus Isaaci filius.

*Secundo*, solidius et verius, Jacobo tribuit « veritatem, » Abraham « misericordiam, » quia per Jacob intelligit posteros ejus, qui ab eo quasi proximo parente Jacobæi et Israelite, imo Jacob et Israel (Jacob enim alio nomine dictus est Israel) proprio nomine sunt appellati. Atque hæc de causa Jacobum præponit Abraham, quia per Jacob intelligit posteros ejus: hi enim proprie ab eo dicti sunt Jacobæi et Israelite, non ab Abraham avo Abrahamæi. Nam hæc promissiones exhibitæ et complete sunt, non in ipso Jacobo, sed diu in posteris ejus. Ita Theodoretus, Albertus, Vatablus et a Castro. Sensus ergo est, *q. d.* Dabis veritatem, id est fideliter implebis in Jacob, id est in Jacobæis, ea quæ misericorditer primitis Abraham, patriarchæ et avo eorum promisisti, maxime de Christo, Christique redemptione et salute.

Mystice, Jacob refert et representat Judæos, quasi proprius eorum parens, quibus proprie Deus fecit hæc promissa de Christo: unde eis tribuitur veritas, id est fidelitas promissionum. Abraham representat gentes, inde enim dictus est Abraham, *q. d.* Pater multarum gentium: gentes autem ex gratia admisse et ascitæ sunt ad hæc promissa Christi: unde eis tribuitur eorumdem misericordia, juxta illud Pauli *Rom.* xv, 8 : « fisco enim Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis, » id est circumcisorum, puta Judæorum, « propter veritatem Dei ad confirmandas promissiones patrum; gentes autem super misericordia honorare Deum. » Ita S. Hieronymus, Haymo, Remigius et Rupertus.

Moraliter, discite hic quantum beneficium sit peccatorum remissio, quantasque pro eo Deo gratias agere debeamus. Sicut enim summum maiorum omnium est peccatum, ita summum honorum omnium est ejus remissio. Peccatum enim gravissime offendit immensam illam majestatem, bonitatem et sanctitatem divinam, estque quasi quoddam deicidium, imo vere et proprie fuit christicidium; nullo enim pretio, nisi sanguine et morte Christi, clui et expiari potuit, de quo plura dixi *Jerem.* n, initio captivi. Adde, hæc re-

Moraliter summa Dei donum est remissio peccatorum.

num cantabo. Misericordiæ Domini quia non sumus consumpti. Trahe me post te: curemus in odorem unguentorum tuorum. Inveni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam donec introducam illum in domum matris mee, et in cubiculum genitricis mee. » Hosce imitentur, qui

aliquando peccarunt, præsertim mortaliter et graviter; ideoque Deo in humilitate, penitentia, gratiarum actione, amore et fervore, præsertim ut animas proximorum e peccati abyso extrahant, Deoque pro compensatione offerant, tota vita læti alacresque deserviant.

missio non fit nisi per gratiam Dei animæ infusam, per quam fimus filii et hæredes Dei, adeoque, ut ait S. Petrus *epist.* II, cap. 1, 4, consortes divine nature. Hoc est quod ait Michæas : « Quis Dens similis tui, qui auferens iniquitatem? » etc. Majus enim opus Dei est justificatio impij, quam creatio cæli et terre, uti ex S. Augustino demonstrat D. Thomas, I II, *Quæst.* CXIII, art. 9. Porro Deus non tantum peccatum, quod est quasi hostis perniciosissimus animam invadens et occupans, ab ea auferit et expellit; sed et ab ea ita elongat, ut illud in profundum maris projiciat, ut ait hic Propheta: imo in die judicii projiciet illud cum omnibus peccatoribus in abyssum inferni. Hæc est veritas Jacobo, et misericordia Abrahamæ promissa, de qua Zacharias *Luce* 1, 77 : « Ad dandam scientiam salutis plebi ejus, in remissionem peccatorum eorum : per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos, oriens ex alto. Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. » Et vers. 74 : « Ut sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi, in sanctitate et justitia coram ipso, omnibus diebus nostris. » Quocirca omnes sancti penitentes mire hoc Dei beneficium in se celebrarunt. S. Petrus quotidie audiens galli cantum, memor suæ negationis Christi, resolvebatur in lacrymas, ideoque totum se ejus prædicationi, amori et obsequio, usque ad mortem crucis, devovit. Unde, *epist.* I, cap. II, 9 et 10, de hæc gratia exultans et gentilibus congratulans : « Vos, ait, genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis: ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum. Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei: qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti. » S. Paulus ita suam conversionem admiratur, itaque de ea sibi gratulatur, ut in has voces erumpat : « Fidelis sermo, et omni acceptione dignus, quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum: sed ideo misericordiam consecutus sum, ut in me primo ostenderet Christus Jesus omnem patientiam, ad informationem eorum qui credituri sunt illi in vitam æternam. Regi autem sæculorum immortalis, invisibilis, soli Deo honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen. » Lege totum cap. I ad *Ephes.*, in quo hoc beneficium remissionis obstupescit, et profundis sensibus verbisque eructat. S. Magdalena de remissione accepta a Christo certa, totam vitam in eremo, in lacrymis, gratiarum actione, amore et contemplatione transegit, usurpans illud *Cant.* 1, 42 : « Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore languo. » S. Maria Aegyptiaca penitens simili modo 47 annos in solitudine consumpsit, jugiter habens illud in mente : « Misericordias Domini in eter-